UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Sev Manvale Episcoporvm Pro Decretis in Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Q

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Visual Library

munus. *ibid.*
4 Iurent initio officii,& in Synodo Diœceſana, lectis prius Tabellis errorum ſtatutis. Prou. 4.
5 Trimeſtre ſit eorum officium, niſi prorogetur. *ibid.*
6 Singulis diebus, ſi opus eſt, poſt officium diuinum errata ſingula exponantur à punctatore, vt præfectus diiudicet, niſi aliud Epiſcopo videatur circa hunc morem. *ibid.*
7 Singulis Hebdomadis duo primi cõferant inter ſe, quæ notarint, & concordent. Prou. 1.
8 Si diſcordent, Epiſcopus, aut Vicarius ſine forma iudicij componat. *ibid.*
9 In fine anni fiat computatio coram Deputatis à Capitulo. Prou. 3.
10 Si aliquem iniuria notarint, vel notandum prætermiſerint, ſatisfaciant de ſuo, & integras vnius hebdomadæ amittant diſtributiones. Prou. 1.
11 Cuſtodiantur libri punctationem, & ſingulis menſibus Epiſcopo, & Capitulo, ſi videbitur, exhibeantur. *ibid.*

ADDITIO.

1 POteſt Epiſcopus cogere Canonicos ad iuramentum de punctando fideliter in choro. *Congr. conc. 17. Martij 1619. apud Barboſ. de canon.*

Quadrageſima.

1 IN Dominica Quadrageſimæ publicetur Decretum ſequens.
2 Qui poſt mediam noctem, quæ diem quadrageſimæ procedit, cibis veſcitur prohibitis, aut perſonatus incedit, puniatur, arbitrio Epiſcopi, pœna interdicti. Prou. 7.
3 Signum autem mediæ noctis exactæ maiori campana detur. *ibid.*
4 In prima Dominica Quadrageſimæ publicentur excommunicationes omnes à ſacris Canonibus impoſitæ, & in Bulla cœnæ præſertim, & quæ Epiſcopo ſunt reſeruatæ, ſummatim. Pro. 3.
5 Parochi initio Quadrageſimæ cõuocent populos, & agant, vt concilientur diſſidentes, concubinarii reuocentur, abberrantes reducantur. Prou. 5.
6 Excitentur populi ad ſeueriorẽ morum diſciplinam in veſtibus, colloquiis, operibus pœnalibus, ſeparatione thori, venationibus, delicijs, & conuiuiis. *ibid.*
7 Dedant ſe orationi, eleemoſynis, frequentiori ſacramentorum vſui, octauo quoque die. *ibid.*
8 Mane à forenſibus iudiciis abſtineãt. Prou. 4.
9 Concionis tempore officinæ ne pateant. Prou. 5.
10 Qui cibis vetitis veſcuntur, ne publicè comedant, etiam à ſuis ſeparatim. Prou. 2.
11 Ne cibi vetiti venales proponãtur, ſed certis tantùm conſtitutis locis. Prou. 5.
12 Neque tabernarum, valuis omninò patentibus, neque in foro, neque in via publica. *ibid.*
13 Nec niſi ab iis, qui vendendi facultatem habent, & in ſcriptis ab Epiſc. *ibi.*
14 Neque omnis carnis genus, niſi quod eſt vſui ægrotis. *ibid.*
15 Neque omnibus, niſi ſcripto emendi facultatem habentibus, quæ facultas ceſſet, cauſa ceſſante. *ibid.*
16 Facultas detur per dies decem, & iterum, & deinceps. *ibid.*
17 Cauponæ, Tabernarii ne dent cibos vetitos, niſi nominatos in licẽtia ſcripta neque viatoribus quibuſcumq; *ibid.*
18 Neque patiantur aliunde coctos apportari. *ibid.*
19 Pœnæ infligantur grauiſſime violatoribus. *ibid.*
V. Benedictio num. 14. *Excommunicatio n.* 34. *Peſtis. num.* 9.

Quæſtores.

1 QVæſtores ij ſunt, qui quæſtum ſibi referunt. Bald. apud Barboſ. *alleg.* 109. *num.* 6.
2 Regulares quæſtuantes extra loca, vbi habent monaſteria, tenentur oſtendere Epiſcopo loci licentiam ſuorum ſuperiorum. deciſum refert Barb. *nu.* 8.
3 Laici non poſſunt quærere eleemoſynas pro aliqua cauſa, niſi cognita per Epiſcopum Barb. *ibid. nu.* 9.
4 Omnes Indulgentiæ quæſtuariæ reuocatæ ſunt à Pio V. refert Barb. *nu.* 12.

5 Praui eleemoſynarum quæſtorũ abuſus tollantur, & quæſtores excludantur. Trident. *ſeſſ.21.cap.9.*

6 Et preſertim pro conſecutione Indulgentiarum. Idem *ſeſſ.25. Decret. de Indulg.*

7 Poteſt Epiſcopus eos licet exemptos incarcerare, excommunicare, & caſtigare. Barboſ. *loc.cit.nu.3.*

8 Sedes Apoſtolica ſolet concedere cum his conditionibus.

Ne dicantur quæſtores, ſed collectores eleemoſynarum.

Ne publicent Indulgentias.

Ne concionentur. *Vide Concio Sacra. num.44.*

Ne circumferant priuilegia, aut Reliquias.

Ne pulſent campanulam, excepto Ordine S. Antonij Vienn. aliaue inſtrumenta.

Ne petant elemoſynam tamquam debitam, aut ſolitam.

Nec vlla arte, prætextuue dicendi orationes.

Ne vtantur minis, nec imprecationibus.

Nec faciant vllam conuentionem ſuper eleemoſynis, etiam pio loco vtilem pro quo petunt, Zerol. *in Praxi. par.1. V. Quæſtores.*

Hæc eadem præſcribit Gregor. XIII. Ordini S. Antonii Viennenſ. Diœceſis Anno 1582. cui etiam prohibet benedictiones animalium in ſtabulis, & annis ſingulis peti iubet ab Ordinarijs licentiam.

Vide Locorum piorum cura. numer.12. & ſeqq. Regularium iura ſub Epiſcopis. num. 48.49.

Quarta Epiſcopalis, & funeralium.

1 DE omnibus legatis, & relictis eccleſijs Exiſtentibus in Diœceſi competit quarta pars Epiſcopo. Sylu. *V. Canonica portio §.4.*

2 Et hanc non ſoluit hæres, ſed eccleſia, cui legatum fuit. Couar. *in c. officij de teſt.num.1.circa.vl.*

3 Non habet locum in funeribus ex caritate piorum locorum. Congr. Ep.29. Nouembr.1583.

4 Neque in legatis. ead. 17. Sept. 1585.

5 Præiertim non in legato maritandi puellas. ead. 14. Sept. 1592.

6 Neque, quando relinquitur pauperibus in genere Barb. *alleg.86.nu.21.*

7 Neque in relictis pro ornamentis, cereis, fabrica eccleſiæ, choro, pictura, calice, anniuerſariis. Idem. *ibid. n. 23.*

8 Neque quando legatur, vt omni anno fiat ſolemnitas alicuius ſancti, vel conſtituatur, præbenda, altare, aut pulpitum, &c. Idem *nu.25.*

9 Neque quando his donat eccleſiæ in vita donatione inter viuos. Idem *nu.26.* & Sylu. *loc.cit.*

10 In his, & alijs ſtandum eſt conſuetudinis locorum. Couarr. *loc.cit.*

11 Quæ ſolita eſt perſolui ante 40. annos ac poſtea fuerit aliquibus conceſſa, eadem integrè perſoluatur. Trid. *ſeſſ.25. cap.13.*

12 Non comprehenduntur monaſteria ædificata à 40. annis citra, aut quæ in die ædificantur, præſuppoſito quod ſint eius Religionis, cui Sede Apoſtolica indultum ſit, vt non teneatur eam ſoluere Epiſcopo. deciſum refert Io. de la Cruz. *de ſtatu Relig. lib.2.cap.19 dub. 5. concluſ. 2. in fin.*

13 Quarta cereorum Confraternitatum funera aſſociantium non debetur Parocho Cong. Epiſc. 15. Mar. 1616.

14 Quarta funeralium debetur Rectori, non Regularibus, etiam ſi Rectoria ſit ſæcularis in eccleſia regulari. eadem 3. Iulij 1615.

15 Non tenentur clerici Regulares ad ſoluendum Epiſcopo quartam funeralium. Rot. 15. Ian. 1618. coram Decano. Nald. *V. Sepultura.nu.13.*

ADDITIO.

1 STante cõſuetudine in ciuitate, quòd ius ſepeliendi peregrinos, & viatores ſpectet ad cathedralem; quarta funeralis non debetur Parocho, intra cuius limites viator retentus pro delicto, & habilitatus cum cautione decedit. *Congr. conc. 22. Ianuar. 1628.*

2 An confraternitates debeant ſoluere Epiſcopo quartam canonicam. DD. Affirmant, ſed verius negant, ſi meræ

ſunt laicales, aut ex mera deuotione auctoritate Epiſcopi inſtitutæ. *Barboſ. de iure Eccl. l. 3. cap. 19. nu. 18.*

3 Quarta funeralis Epiſcopi non poteſt locari. *Congr. Epiſc. 14. Dec. 1592.*

4 Parocho debetur, ſeu etiam ſacerdoti animarum curam exercenti. *DD. cum Barboſ. loc. cit. cap. 24. num. 19. 21.*

5 Illius nimirum Eccleſiæ, in qua Parochianus ſolet recipere Sacramenta caſu quo alibi audiret diuina. *ibi. n. 24.*

6 In caſu dubio: An debeatur Epiſcopo, vel Parocho, præfertur Parochus ex cauſa oneroſa, Epiſcopus ex cauſa lucratiua. *ibid. n. 25.*

7 Etiamſi Parochianus moriatur ob bellum, peſtem in villa dummodo in Parochia domicilium habeat. *ibid. n. 26.*

8 Etiam quando ægrotus mutat Parochia. *ibid. nu. 27.*

9 Vel ægrotus cum bonis ſuis ad Religioné ſe transfert, pendente anno probationis, ſi in eo moriatur. *ibid. n. 28.*

10 Poſtridie, quàm ſepultum eſt cadauer, cum cæreis &c. fiat ſolemnis Miſſa cum maiori quantitate cæreorũ, de his quoque quarta pars debetur Parocho. *Cong. Ep. auditis partib. 3. Aug. 1621.*

11 De candelis, quas fratres, & alii præſbyteri in funeribus geſtare ſolent in manibus, non datur quarta Parocho, ſed ſunt geſtantium. *DD. apud Barb. loc. cit. nu. 39. & in ſeqq.* plura habes de hac materia.

Referendarij.

V. Exempti. nu. 5. Functiones Epiſcopales. nu. 24. Præcedentia. nu. 21.

ADDITIO.

1 POſſunt celebrare, & facere celebrare circa auroram, & in locis interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis. *Sixtus V. 10. kalen. Octo. 1586. §. 11.*

2 Cedunt locum Auditori confidentiarum. *Congr. Rit. 6. Decemb. 1621.*

Regularium virorum monaſteria.

1 NOn poſsũt erigi noua monaſteria, niſi vocatis aliorũ monaſteriorum Prioribus, & cognita cauſa, an ſine aliorum damno ea erigi poſſint. Greg. XV. An. 1621.* Vrb. VIII. An. 1625.*

2 Vocatis etiam Prioribus Conuentuũ per quatuor milliaria diſtantium. Gregor. XV. *ibid.*

3 Nec niſi poſſint habitare, & ſuſtentari duodecim. Idem *locis citatis.*

4 Vel conſtiterit Ordinario, totidem ibi ſuſtentari poſſe. Gregor. XV. *ibid.*

5 Si nulli ſint ibi Regulares, accedat conſenſus incolarum loci. idem. *ibid.*

6 Si detur appellatio, nihil interea innouetur. idem *ibid.*

7 Reuocatæ ſunt licentiæ omnes profundandis locis Regularium. Vrbano VIII. Anno 1624.

8 Et qui prætextu licentiarum reuocatarum ſine licentia Ordinarij, & non ſeruata forma Gregor. XV. prædicta fundarit, pœnam incurrit priuationis vocis, officiorum, inhabilitatis, & ipſo facto excommunicationis. idem *ibid.*

9 Nõ poſſunt ædificari Eccleſiæ Regularium in loco non exempto, ſine conſenſu Ordinarii loci. Barb. *all. 26. à n. 3.*

10 Monaſterium, in quo nondum poſitus eſt religioſorum conuentus, ſed ſolum nonnulli religioſi deputati fabricæ, non eſt obligatum clauſuræ. deciſum referunt DD. *locis citandis. n. 15.*

11 Item videtur dici poſſe de iis domibus, in quibus non viuitur in forma cõuentus, nec ibi eſt eccleſia cum Euchariſtia, niſi aliàs ſubiectæ fuerint clauſuræ. Bonac. *loc. cit. num. 5.*

12 Si de clauſtrorum finibus eſt dubitatio, per loci Ordinarium, & ſuperiores Regularum explicetur. Prou. 4.

11 Sacriſtia comprehenditur ſub clauſura. Congr. Epiſc. 18. Aprilis 1605. refertur etiam à Coriolano *de caſibus reſer. par. 2. caſu 3 quæſt. 4. num. 31* Negat Bonac. quando immediatè ab eccleſia in ſacriſtiam itur. *de clauſ. quæſt. 5. punct. 1. num. 4.* affirmat Sanchez *in op. mor. l. 6. cap. 17. num 17.*

14 Horti, viridaria, vineæ, quæ monaſteriis Regularium continenter ſunt adiuncta, vt ad ea à monaſterijs aditus ſit, nulla via, locoué publico interiecto clauſtrorum finibus comprehenduntur. Prou. 4.